



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

4. Quotuplex sit bonitas in actu interiori voluntatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

XX.

Si inquiras, an hoc ipsum esse liberum dicat aliquam bonitatem moralem in actu distinctam ab ipsa bonitate, quæ potest saluari sine libertate, Videbitur forte ita dicendum, quia ad omne esse sequitur aliquid bonitatis eo modo quo est, sed hoc esse liberum est aliquo modo esse reale: ergo, &c. Respondetur libertate non quidem ipsius potentie in actu primo esse bonitatem quædam seu perfectionem non moralem, sed naturalem, non in actu secundo, sed in actu primo: unde in ipso actu secundo hoc esse liberum reuera non addit bonitatem physicam & realem distinctam à perfectione ipsius potentie, & positio in fluxu, quem habet in actu, sed addit quandam denominationem quæ morali modo potest dici perfectio quædam. Et adhuc de ista est ulterius addendum in communi sumptam, non esse etiam bonitatem moralem, id est, honestam, quia est conditio communis bonis & malis actibus: est ergo quid indifferens: tamen hæc libertas adiuncta bonitati & honestati actus, dat illi quandam valorem & æstimationem, quæ potest merito dici dignitas quædam moralis actus, quæ non consequitur ex honestate sola, neque ex libertate, sola, sed ex libera honestate, seu [quod idem est] ex bono vsu libertatis, quæ significatur illis verbis: *Potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* & eodem modo possumus dicere, potuit non bene operari, & bene operatus est, & ideo in hoc fundatur ratio meriti, iudicis, &c.

XXI.  
Ultima ad  
serio.

Vltimo addendum est, ut actus voluntatis denominetur bonus simpliciter, necessarium esse ut nulla malitia moralis illi coniungatur. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. quest. 18. artic. 1. ex illo principio vulgarissimo, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. Solum est aduertendum aliud esse disputare an in eodem actu voluntatis possint simul coniungi verum esse virtutis, atque adeo aliqua vera bonitas moralis cum aliqua malitia morali vera: aliud vero an si coniungantur, talis actus dicendus sit bonus, vel malus. De primo nihil nunc definimus, tractandum enim est infra in propria disputatione, ubi explicabimus quanta sit oppositio inter bonitatem & malitiam. Hic vero solum affirmamus prædictam conditionalem, per quam responsum fere est ad præcipuum fundamentum, quo nitentur omnes fere sententiæ supra citatæ, scilicet quia idem actus potest fieri de bono malus, & e contrario, sine sui mutatione: respondetur enim fieri non posse ut actus elicitus à voluntate sic constitutus in specie virtutis, amittat illam bonitatem sine sui mutatione, quamvis fortasse fieri posset ut extrinsecus, seu accidentaliter illi adiungatur aliqua malitia, ratione cuius non possit denominari simpliciter bonus, sicut denominatur ex vi suæ bonitatis specificæ, si nullam haberet malitiam adiunctam. Et eadem ratione si aliquis actus est ita malus, ut ex vi suæ speciei nullam habeat honestatem, non poterit affici bonitate intrinseca, seu specifica sine sui mutatione. Quando vero actus accidentaliter solum est bonus, vel malus, non repugnat sine sui mutatione intrinseca fieri de bono malum, vel de malo bonum, quamvis hoc posterius nunquam fiat sine aliqua mutatione voluntatis saltem per additionem alterius actus, quæ omnia non possunt hoc loco latius explicari donec in particulari fusius tractentur in disputatione octava, & tunc etiam clariora erunt omnia quæ in superioribus opinionibus insinuavi.

Suarez in primam secundæ D. Thomæ.

## SECTIO IV.

## Quotuplex sit bonitas in actu interiori voluntatis.

Ratio dubii esse potest, quia D. Thom. 1. 2. quest. 18. art. 4. dicit quatuor esse bonitates in actu humano, una est secundum genus pro ut est actus, alia secundum speciem pro ut ad tale obiectum tendit, tertia ex circumstantiis, quarta ex fine. Eandem fere doctrinam habet in 2. dist. 36. artic. 5. in corp. quamvis in modo loquendi non nihil differat, nam bonitatem ex obiecto vocat quasi genericam, ex circumstantiis autem, specificam. D. Thomam autem imitatus est Scot. in 2. d. 40. q. 7. mica. & quodlib. 18. ubi significat illas quatuor bonitates esse quasi partiales, & singulas per se sumptas tantum esse bonitates secundum quid, ex omnibus autem constari bonitatem simpliciter actus. Verum est hos autores non loqui in particulari de actibus interioribus, sed in communi de actu humano: unde facilius posset accommodari illa doctrina ad actum externum pro ut ex se habet bonitatem obiectiuam, ut supra dictum est. Nihilominus multi Thomistæ eam etiam intelligunt de actibus interioribus, in quibus distinguunt re ipsa quatuor illas bonitates partiales, adeo ut à parte rei sit una separabilis ab alia, nam potest manere idem actus secundum substantiam bonus solum bonitate actus ut sic, sine vlla bonitate ex obiecto formali: & hæc rursus esse potest sine bonitate ex circumstantiis: & tandem bonitatem simpliciter actus componi ex his omnibus, quia sine illis non erit actus simpliciter bonus.

Hæc sententia sic exposita mihi valde displicet in multis. Primum enim bonitas illa prima, quæ consistit in ratione actus, seu actionis ut sic, reuera non est honesta bonitas de qua loquimur, quia de se communis est & indifferens ad actum honestum & turpem etiam intrinsece: cum tamē in actu intrinsece malo nulla sit proprie bonitas honesta, imo neque in actu indifferenti ex obiecto ut talis est, nam ideo est indifferens, quia omnino caret honestate & malitia: & ideo recte dixit Scot. dicto quodlib. actum humanum ut humanum, primo determinari ex obiecto honesto, ad honestum ut sic. Scio Caietan. 1. 2. q. 18. art. 8. ad 1. dicere omnem actum voluntatis, quantumvis malum habere aliquam bonitatem moralem saltem ex parte finis vniuersalissimi, quia scilicet omnis actus tendit aliquo modo in beatitudinem & finem vltimum, iuxta dicta in tract. 1. Sed hoc valde improprie dictum est, quia illa relatio in finem vltimum non est ab operante, sed ex natura ipsius actus, seu entitatis, & ideo non pertinet ad formalem bonitatem & honestatem operantis, sed solum ad naturalem entitatis illius bonitatem, quæ potest etiam denominari moralis, id est, libere facta per extrinsecam denominationem, ut sæpe dictum est: non tamen bonitas moralis honesta, de qua nunc agimus, quia quando actus est ita malus, nullam habet per se conuenientiam cum recta ratione, seu natura rationali, neque intendere illo modo implicito, finem vltimum in tali particulari bono est per se decens aut conueniens homini: neque D. Thom. aut Scot. supra relati, numerarunt illam tanquam bonitatem moralem, sed ut bonitatem naturalem, quæ secundum rationem prima est, & quasi fundamentum honestatis moralis.

V

Se-

III.

Secundo displicet illa sententia in quantum in omni actu interiori requirit illas quatuor bonitates ut sit bonus simpliciter. Primo, nam esto deus in aliquo reperiri, non sunt tamen omnes necessariae, nam, teste D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 1. & 2. sufficere potest bonitas ex obiecto sine circumstantiis proprie dictis, & sine extrinseco, dummodo nulla sit aliunde adiuncta malitia: & actus indifferens ex obiecto potest esse simpliciter bonus ex solo fine, quamvis ex obiecto & circumstantiis nullam habeat bonitatem. Tertio displicet in eo quod ait, quando concurrunt haec bonitates in actu re ipsa semper distingui & separari posse, & tamen componere unam bonitatem, tum quia ostendam inferius bonitatem primam naturalem, & honestatem sumptam ex obiecto, in re non distingui, sed ratione, ut ratio generalissima & generica: sicut in habitibus se habent habitus ratio, & ratio virtutis; & fere idem ostendam de bonitate ex obiecto, & circumstantiis in actu interiori, quae se habeat tantum sicut species & individuum: tum etiam, quia si aliqua ex his bonitatibus re ipsa distinguuntur in actu interiori, tunc non componunt unam, sed sunt sicut duo accidentia specie diversa in eodem subiecto, quales esse possunt bonitates sumptae ex pluribus finibus extrinsecis: aut se habebunt sicut substantia & accidens, ut si una sit bonitas ex obiecto, alia ex fine, quia ex obiecto sumitur substantia actus, finis vero accidit illi, ut latius infra disput. 6.

IV.

Alio ergo modo extremè contra: ratio potest praedicta sententia exponi, nepe quod illa quatuor numerentur solum ut ratione distincta: bonitas autem in re sit una & simplex. Cuius rei fundamentum esse potest, quia talis est rei bonitas, qualis entitas: sed entitas actus interioris est in se simplex: unde D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 2. hanc videtur constituere differentiam inter actum internum & externum, quod externi bonitas, quia est inferioris rationis, confluit ex multis: interioris autem bonitas, quae est superioris ordinis sumitur ex una simplici habitudine ad obiectum: quod si respicit circumstantias, vel finem, solum est in quantum componunt aliquo modo unum obiectum. Et potest hoc confirmari, quia bonitas ex obiecto, & sine se habet sicut genus & differentia, teste D. Tho. 1. 2. q. 18. a. 7. & eodem modo comparatur bonitas ex obiecto, & ex aliis circumstantiis, ex eodem D. Thom. citato loco in 2. sent.

V.

Haec vero sententia licet in aliquare, vera esse possit, non tamen simpliciter & in omnibus, quia certum est aliquam bonitatem posse esse substantialem, & aliquam accidentalem in actu interiori, quae in re ipsa sunt distinctae & separabiles, ut patet aperte de bonitate ex obiecto & ex fine, ut sentit etiam D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 2. ad 2. & q. 18. a. 7. ubi loquendo de fine per accidens dicit ab illo sumi speciem accidentalem: quod vero ibi ait, à fine per se ordinatio sumi genericam differentiam, non est contra id quod modo agimus, quia non dicimus ex illo fine multiplicari bonitates, sed ex fine extrinseco accidentali ut sic: quo modo autem illud sit intelligendum, dicemus disput. 6.

VI.

Ut ergo quaestioni respondeam, suppono in actu interiori primo esse considerandam honestatem illam, seu rationem virtutis, à qua & ipse habet ut bonus & perfectus sit, & quod operantem bonum, seu studiosum denominet & constituat: quam bonitatem diximus supra consistere in ipso esse virtutis, siue consideretur ut in se est quoddam esse perfectum, siue ut est conveniens naturae rationali: & sic haec duo pro eodem computamus, quia, ut dixi, sola ratione distinguuntur: & hoc significamus nomine *formalis*

*honestatis*, ut loquuntur omnes Theologi: ex hac vero bonitate consequuntur in actu humano & libero quaedam aliae proprietates, seu distinctiones morales, quae possunt etiam dici bonitates quaedam: huiusmodi sunt conformitas ad legem, quae si non fit per se intenta non addit formalē bonitatem proprie sumptam, ut supra dixi, est tamen dignitas quaedam, & quasi obiectiva quaedam bonitas quae per se posse amari & intendi. Alia proprietates est ratio meriti, seu moralis valor operis, vel ad merendum, vel ad impetrandum, vel ad satisfaciendum: & inter haec etiam annumeratur laudabilitas operis, de quibus proprietatibus tractat Div. Thomas 1. 2. quest. 21. & de eis aliquid dicemus *disputatione* 5. nunc enim non censemus ratione illarum multiplicari bonitates actus interioris: imo neque augeri, quia propter has proprietates non redditur homo melior, aut sanctior, sed potius ipsae consequuntur ex illa bonitate formali, qua homo fit sanctus & bonus in actu secundo. Superest ergo ut de ipso esse virtutis solum explicemus quod duplex esse possit in actibus voluntatis.

Dicendum primo, generatim loquendo, duplex tantum genus bonitatis potest in actibus voluntatis reperiri: unum est per intrinsecam perfectionem & entitatem ipsius actus: aliud est per extrinsecam denominationem ab alio actu eiusdem voluntatis. Probatur & imprimis quod unus actus esse possit bonus per denominationem ab alio, sufficiens argumentum sumitur ex actibus exterioribus, hi enim quatenus sunt actus boni vel mali denominantur solum quatenus à bona vel mala voluntate procedunt & imperantur, ut latius 1. 2. quest. 20. sed eodem modo potest unus actus voluntatis ab alio imperari sic enim charitas ceteris virtutibus imperat, & inter reliquas virtutes potest esse mutuum imperium, ergo actus etiam voluntatis si ab alio actu bono imperetur, poterit ab illo bonus denominari, ut rectè Caietanus. notavit 1. 2. quest. 18. artic. 6. explicans D. Thomam *ibi in corp.* & ad 2. quod nomine actus exterioris hac ratione comprehendat etiam actum ipsius voluntatis qui ab alia imperatur quatenus imperatus est nomine autem *actuum interiorum* solum significat actum voluntatis elicitem ut sic. Confirmatur, nam actus interior indifferens ex obiecto, potest in particulari esse simpliciter bonus ex relatione ad finem extrinsecum bonum, quae relatio, ut infra ostendam, nihil est in illo, nisi denominatio ab actu imperante: ergo haec sufficit ad dandum aliquam bonitatem actui voluntatis. Et ratio à priori est, quia actus imperatus est veluti moralis forma actus imperati, & ideo moraliter perficit illum, & bonum constituit si ipse bonus sit.

Deinde addo ulterius, ac noto primo, non posse actum voluntatis esse bonum per extrinsecam denominationem sumptam ab alia forma, quam ab actu eiusdem voluntatis. Itaque quamvis haec denominatio possit esse extrinseca, comparatione actus ad actum, tamen respectu operantis debet esse à forma illi intrinseca, & ab eo elicit. Probatur primo, quia omnis haec bonitas est actualis: ergo debet esse per actum secundum ab operante elicitem. Item debet esse voluntaria, quia bonum & malum morale formale non potest esse, nisi sit voluntarium, quia voluntate peccatur, aut bene vivitur: ergo oportet ut illa bonitas à qua denominatur quilibet actus bonus moraliter formaliter, sit in aliquo actu voluntatis. Et confirmatur primo, quia si voluntas faceret actum, & denominatione boni resu taret à forma extrinseca quae ad ipsam voluntatem

VII.  
1. Assertio.VIII.  
Notatio 7.  
na circa  
asserionem  
positam.

luntatem non pertineret, talis bonitas non esset à voluntate. ergo non operaretur bonum vt bonum est : ergo non efficeretur bona formaliter per talem actum. Confirmatur secundo, quia vt voluntas sit bona, necesse est vt tendat aliquo modo in honestum vt sic : vnde August. 1. de lib. arb. cap. 12. Quid est inquit bona voluntas? respondet, est voluntas qua appetimus recte honesteque vivere: ergo vt actus sit bonus, necesse est vt in honestum, vt honestum saltem, ab illa referatur: non potest autem ita referri nisi per alium actum eiusdem voluntatis, quia solius voluntatis est tendere in bonum sub ratione boni perfectissimi, quale est honestum. Nota quod hinc etiam obiter constat non posse hanc denominationem sumi ab ipsa potentia voluntatis, sicut supra dicebamus de esse morali, seu libero, quia habitudo ad huiusmodi potentiam de se est indifferens, & communis actui bono & malo, & quia potentia per se ipsam tude non potest tendere in honestum vt sic. Ex his ergo concluditur, & noto tertio, necesse est esse vt præter hanc bonitatis modum sit in voluntate aliquis actus, qui per se & intrinsece bonus sit sine denominatione ab alio. Probat aperte, quia neque vnus actus potest denominari ab alio bono, nisi etiam ille alius bonus sit, vt patet de actu exteriori respectu interioris: neque in hoc potest procedi in infinitum: ergo necesse est esse in aliquo actu qui per se bonus sit. Confirmatur exemplo voluntarij, nam quia vnus actus potest denominari voluntarius ab alio actu voluntario, ideo necesse est vt aliquis actus, nempe interior voluntatis sit per se ipsum intrinsece voluntarius, quia neque potest procedi in infinitum, neque illa denominatio potest à sola nuda potentia sumi: ita vero est in proposito.

Notatio altera.

IX. Constat igitur ex his dari in actibus voluntatis duplicem illum modum bonitatis. Quod vero præter hos non possit alius excogitari, facile potest ex dictis concludi, quia nullus alius actus potest esse per se bonus, nisi actus voluntaris, quia nullus alius est per se voluntarius attingens honestum sub ratione honesti: neque etiam potest actus voluntatis proprie ab alio imperari, nisi ab ipsa voluntate, nam ipsa mouet alias potentias ad vsu actus: ipsa autem non mouetur ab alia, sed se ipsam mouet & applicat. Denique inter ipsos actus voluntatis non potest reperiri alia habitudo, quia omnis actus à voluntate elicitus, vel est tantum elicitus, vel simul elicitus & imperatus: & quatenus elicitus potest habere bonitatem intrinsecam: quatenus imperatus vero, extrinsecam: non est ergo aliud bonitatis genus. Quæres, quatenus imperans poterit habere aliquam specialem bonitatem. Respondetur, si sit proprie & directe imperans actum bonum, ea ratione poterit esse bonus, tamen illa erit bonitas intrinseca, quia actus imperans nõ respicit imperatum tanquam formam extrinsece denominantem sed tanquam obiectum à quo sumit intrinsecam bonitatem: sicut patet manifeste in actu interiori respectu exterioris, quem imperat non aliter, quam volendo illum.

X. Ex hac prima conclusione sequitur secunda, scilicet hoc duplex bonitatis genus posse interdum eidem actui interiori conuenire, non quod hoc sit necessarium vt actus sit absolute & simpliciter bonus, nam, vt supra dixi, si actus ha-

beat bonitatem aliquam honestam, & nullam malitiam, dicitur absolute bonus: potest autem habere alterutram ex dictis bonitatibus absque vlla malitia, quia potest habere bonum obiectum sine vilo sine accidentario & extrinseco ab operante intento, & è contrario potest referri in finem bonum, etiam si ex obiecto bonitatem non habeat. Sensus ergo solum est posse hanc duplicem bonitatem simul inueniri in eodem numero actu. Quod facile suadetur, quia potest idem actus habere & obiectum bonum, & præterea referri in finem extrinsecum diuersam bonitatem habentem: vnde etiam potest idem actus ab vna virtute elici. Vnde intelligitur, quando hæc duæ bonitates coniunguntur in eodem actu, licet denominent illum vnde quaque bonum, non tamen componere proprie vnã virtutem, sed solum coniungi aut sicut essentia & accidens, aut sicut duo accidentia in eodem subiecto. Hoc facile patet, cum quia illæ bonitates sunt omnino diuersarum rationum, quia vnã est intrinseca, aliã extrinseca: tum etiam quia nõ se habent vt genus & differentia: & distinguuntur realiter, & potest vna manere sine alia, & è contrario, & vnaquæque sola manens retinet suum proprium genus & speciem, vt facile potest exemplis colligi. Neque etiam alio modo physice componi vnã bonitatem, neque essentialiter, neque accidentaliter, quia, vt dixi, realiter distinguuntur, & nullum genus vnionis inter se habent, nisi ratione subiecti. Est autem notanda differentia inter has bonitates respectu eiusdem actus, quod illa quæ est intrinseca, est vna tantum, extrinseca vero multiplicari possunt, vt latius infra. Nunc breuiter ratio est clara, quia entitas rei est vnica, denominationes autem extrinsecæ possunt esse plures. Item quia intrinsecus ac per se terminus vnus cuiusque actionis est vnus tantum, remoti autem, & extrinseci possunt esse plures, & ita in præsentem vnus actus solum habet per se vnũ obiectum: potest autem habere extrinsecos fines multiplices, & ita ab vna tantum virtute elici potest, cum tamen possit à pluribus imperari.

Ultimo constat ex dictis quo sensu intelligenda & explicanda sit illa quadruplex bonitas quæ tribuitur actui humano, si applicetur ad actum interiorem, non est enim intelligendum illa quatuor membra semper re ipsa distingui, sed vel realiter, vel ratione, vel abstractione intellectus, nam, vt ex dictis sumi potest, & ex dicendis latius constabit, tria priora membra, nempe bonitas entitatiua actus, & ex obiecto, & ex circumstantiis, in re non distinguuntur, sed virtualiter tantum vt genus, & species, & indiuiduum, bonitas autem ex fine addit accidentalem & extrinsecam bonitatem: & ita etiam obiter constat sufficientia illius numerationis: in qua etiam prima illa bonitas naturalis posita est tanquam primum fundamentum, & commune omnibus actibus voluntatis, & ideo de illa nihil dicendum superest. Tria autem alia membra addita sunt ad explicanda tria præcipua capita totius bonitatis, quæ sunt obiectum, circumstantiæ, & finis, de quibus à nobis sigillatim disputandum est à huius materiæ complementum.

XI. Assertio prima, quæ facta sit di- recte sententia posita in num. 1.

os (?) soe